A. D. 1907.

CURRENDA X.

FACULTAS

data Nobis 17. Maji 1907 ad Quinquennium, concedendi Clero Nostro dioecesano veniam recitandi Matutinum cum Laudibus diei sequentis elapsa duodecima hora meridiei.

Beatissime Pater! Episcopus Tarnoviensis postulat facultatem permittendi sacerdotibus suae dioecesis, ut Matutinum cum Laudibus diei sequentis recitare possint elapsa duodecima hora meridiei, quia propter eorum penuriam pluribus occupationibus vocare debent.

Die 17. Maii 1907 S. Congregatio Concili, auctoritate SSmi Dni Nostri, attentis expositis, benigne indulsit Rmo Episcopo Oratori ut per quinquennium concedere possit et valeat veniam recitandi Matutinum cum Laudibus iuxta petita, rationabili tamen causa interveniente.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest.
Praef.

Quae pro notitia Venerabili Clero communicamus cum eo, quod omnes Clerici ad Officium divinum recitandum obligati et plurimis negotiis ac officiis occupati, **Matutinum cum Laudibus diei sequentis statim post meridiem recitare possint ac valeant, per proximum quinquennium tantum.**

Festum Sanctae Familiae Jesu, Mariae, Joseph in Calendario dioecesano.

Tarnovien. Ad enixas preces Rmi Dni Leonis Wałęga, Episcopi Tarnoviensis, Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa Decimo tributis, benigne concessit, ut in Kalendario ac Proprio ad usum ejusdem Dioeceseos Tarnoviensis, Dominicae Tertiae post Epiphaniam affigatur festum Sanctae Familiae Jesu, Mariae, Joseph, sub ritu duplici maiori, cum Officio ac Missa uti in Appendice Breviarii et Missalis Romani: facta quoque potestate idem festum transferendi in proxime subsequentem diem liberam, quoties ea Dominica impedita occurrerit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 31. Maji 1907.

S. Card. CRETONI Praef.

Instructio S. Rom. et Univ. Inquisitionis ad Reverendissimos Locorum Ordinarios Familiarumque Religiosarum Moderatores.

Recentissimo Decreto „*Lamentabili sane exitu*“ diei 3 Iulii c. a. ab hac S. Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis, iussu D. N. Pii Papae X. (vide Cur. VIII. e. a. 1907) notati atque proscripti sunt praecipui quidam errores qui nostra aetate a scriptoribus, effrenata cogitandi atque scrutandi libertate abreptis, sparguntur, et altioris scientiae fuco et specie propugnantur.

Quum autem errores occulti serpere, et, quod maxime luctuosum est, incautos animos, iuvenum praesertim, occupare soleant, ac semel admissi difficillime radicitus ex animo evellantur, immo, etiam eradicati, plerumque sponte sua repullulent, opportunum visum est Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus, in rebus fidei et morum una mecum Inquisitoribus Generalibus, Decreto supra laudato monita quaedam adiungere, quibus plenius et efficacius attingatur finis quem S. Sedes in reprobandis erroribus sibi proposuerat, consequendum.

Memores igitur imprimis sint ad quos pertinet, necessarium esse ut sive in Seminariis clericorum saecularium et studiorum domibus Religiosorum, sive in Universitatibus, Lyceis, Gymnasiis aliisve educationis collegiis vel institutis, a iuvenum institutione omnino removeantur moderatores atque magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur, vel eorum suspecti merito habentur.

Necessarium pariter erit interdicere, praesertim Seminariorum alumnis ac universim viris ecclesiasticis, ne nomen dent libellis periodicis, quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quidquam in eis publici iuris faciant. A qua regula non deflectant, etsi aliquando gravis ratio aliud suadere videatur, nisi de consensu Ordinarii.

Consultum postremo erit sacram ordinationem differe vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque reiicerent.

His autem pro zelo, quo erga gregem sibi creditum animantur Ordinarii, illa adiicere non omittant consilia ac remedia quae pro ratione locorum et circumstantiarum opportuna iudicaverint ad zizania penitus ex agro Domini evellenda.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 28. augusti 1907.

S. Card. VANNUTELLI.

Piis ac religiosis Institutis conceditur Indultum celebrandi tres Missas et S. Communionem distribuendi in nocte Nativitatis Domini.

Ex S. Congregatione S. R. et U. Inquisitionis.

Feria V, die 1. Augusti 1907.

SSmus D. N. Pius Divina providentia P. P. X. in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, ad fovendam fidelium pietatem eorumque grati animi sensus excitandos pro ineffabili Divini Verbi Incarnationis mysterio, motu proprio, benigne

indulgere dignatus est, ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium hebentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. J. Chr. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate. una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere, eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

P. PALOMBELLI, S. R. U. J. Notarius.

De cumulatione Indulgentiarum a PP. Praedicatoribus et a PP. Crucigeris nuncupatarum in recitatione Rosarii.

Decretum S. Congr. Indulgentiarum.

Urbis et Orbis.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquis praepositae sequentia dubia solvenda sunt exhibita.

I. Ad christifideles habentes prae manibus aliquam ex Coronis benedictis tum a Patribus Ordinis Praedicatorum, tum a PP. Crucigeris, vel a sacerdotibus ad id pollentibus [1]), dum recitant Rosarium Marianum cumulare valeant Indulgentias, quae recitationi SSmi Rosarii sunt adnexae, cum illis quae a PP. Crucigeris nomen habent?

II. An pariter cumuleutur Indulgentiae, quando christifideles manu gestantes Coronam ditatam Indulgentia PP. Crucigerum, recitent Orationem Dominicam vel An-

---

[1]) Indulgentiae, quae a Patribus Crucigeris nomen sumunt, potissimum commendantur propter usus et acquisitionis facilitatem, quum Indulgentia 500 dierum adnexa sit cuilibet globulo Coronae a PP. Crucigeris benedictae, seu aliis verbis: toties acquiritur Indulgentia 500 dierum, defunctis quoque applicabilis, quoties cum dicta Corona semel dicitur *Ave Maria* vel *Pater noster*, etiam extra ipsius Rosarii Mariani recitationem et quin ulla requiratur mysterii meditatio. Diu Patres S. Crucis vulgo *Crucigeri* facultate pollent, prout eisdem concessa fuit a Leone X. atque recognita a Leone XIII per decretum S. Conginis Indulgentiarum die 15. Martii 1884 datum, adnectendi huiusmodi Indulgentias Coronis a se benedictis; verum, quum ipsi domus habeant dumtaxat in Belgio et in Hollandia, hinc nuperrime Pius PP. X. Sacrae Congregationi Indulgentiarum speciales dedit facultates, quarum vigore ipsa in posterum concedere poterit cuilibet sacerdoti, ad confessiones audiendas licet non approbatus, potestatem benedicendi etiam in Urbe, unico Crucis signo et de consensu Ordinarii loci in quo facultas ipsa exercetur, Coronas a R. Rosario B. M. V. iisque applicandi Indulgentias quae a PP. Crucigeris nuncupari solent. Interim monemus quod S. Congregatio instantias sacerdotum hoc indultum petentium non recipere, nisi accesserit proprii Ordinarii saecularis vel regularis commendatio. Nec praeterire censemus eamdem facultatem iam in antecessum Sacram Congr. Propagandae Fidei tribuisse Missionariis Apostolicis, qui ad loca missionum exterarum sese conferebant (Acta S. Sedis, 40. pag. 442).

gelicam Salutationem, adnexam alicui orationi vel pio exercitio peculiaribus Indulgentiis iam ditato?

Et Sacra Congregatio, re mature perpensa, propositis dubiis respondendum mandavit: Negative ad utrumque; sed supplicandum SSmo, ut benigne concedere dignetur Indulgentias a PP. Crucigeris nuncupatas cumulari cum Indulgentiis recitationi SSmi Rosarii iam tributis, in ipsa tantum Rosarii recitatione.

De quibus facta relatione SSmo Dno Nostro Pio PP. X. in Audientia habita die 12. Iunii 1907 ab infrascripto Cardinali Praefecto, idem SSmus dubiorum resolutionem ratam habuit et confirmavit; simulque, de speciali gratia, petitam Indulgentiarum cumulationem in Mariani dumtaxat Rosarii recitatione clementer est elargitus, dummodo Coronae utramque benedictionem acceperint. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, a Secretaria eiusdem S. Congregationis, die et anno uti supra.

S. Card. CRETONI, Praefectus.
† D. PANICI, Archiep. Laodicen. Secret.

URBIS ET ORBIS

Commendatur et indulgentiis ditatur pia praxis Novendialium precum in honorem SS. Sacramenti ante solemnia Corporis Christi praemittenda.

Spiritualium omnium bonorum fons et caput est procul dubio Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, per quod Iesus Christus divitias sui erga homines amoris veluti effudit. Quare nihil tam excellentius et salutarius existimandum quam in christiano populo cultum huius Augustissimi Sacramenti promovere et amplificare, quo magis in eo uberiores eiusdem Sacramenti fructus proveniant; vividius nempe excitetur fides, spes firmius roboretur, ei divinae caritatis ignis impensius foveatur, omnisque christianae virtutis splendor magis eluceat.

Quae omnia probe noscens Beatissimus Pater, ad augendum provehendumque amorem et obsequium erga S. Eucharistiam, in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 8 Maii 1907 delatis precibus, quibus supplicatum est, ut Novendalium precum piam praxim in honorem huius Sacratissimi Mysterii ante solemnia Corporis Christi praemittendam approbare et sacris etiam indulgentiis decorare dignaretur, libentissime annuens, supramemoratam piam praxim nedum auctoritate sua comprobavit sed et summopere commendavit. Insuper eadem Sanctitas Sua christifidelibus aliquo pietatis actu has novendiales preces sive privatim peragentibus sive ipsis publice in ecclesiis celebratis, iuxta normas ab Ordinariis praescribendas, devote adstantibus, has indulgentias, animabus igne Purgatorii detentis etiam profuturas, clementer est elargitus: 1o septem annorum totidemque quadragenarum singulis Novendialium precum diebus; 2o plenariam in uno quolibet eorum dierum, vel festo die Corporis Christi, vel quolibet ex octo

insequentibus, modo rite confessi ac S. Synaxi refecti, ad mentem Sanctitatis Suae Deo supplicaverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Maii 1907.

S. Card. CRETONI, Praefectus.

L. S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen, Secretarius.

Decretum s. Congreg. Indulgentiarum quod naturam altaris privilegiati, quod potest esse etiam ligneum.

Cum aliquod dubium circa naturam altaris privilegiati existentis in Oratorio Sororum a Sacris Stigmatibus Cortonae degentium obortum fuerit, eo quod esset ligneum et nullo modo parieti firmatum, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia solvenda sunt exhibita: I An lapis simpliciter consecratus, quem altare *portatile* seu *viaticum* vocant, privilegio gaudere possit? II. Estne necessarium, ut altare sit fixum *stricto sensu liturgico* (scilicet ex toto lapideum et cuius mensa unico tantum constet lapide immediate stipitibus coniuncto et consecratum) ad hoc, ut privilegio decorari valeat? III. An sufficiat, ut *sit etiam ligneum muro minime firmatum*, cum lapide in medio mensae consecrato et alicui Sancto specialiter dicatum?

Emi ac Rmi PP. in Vaticano Palatio coadunati propositis dubiis responderunt die 15. Julii 1902. Ad I. Negative. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative.

De quibus facta relatione SSmo Dno Nostro Leoni Pp. XIII. in Audientia ab infrascripto Card. Praefecto die 18. Juli eiusdem anni, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die Julii 1902.

S, Card. CRETONI, Praef.
Pro R. P. D. FRANC, Archiep. Amid., Secr.
Ios. M. Can. COSELLI, Substit.

Decretum S. Congr. Indulgentiarum.

Indulgentiae conceduntur adspicientibus sacram Hostiam et dicentibus „Dominus meus et Deus meus".

Beatissimae Pater!

Josephus Recoder de Dorda Annesci, Congregationis Missionis sacerdos ad S. V. pedes humillime provolutus enixe postulat, ut ad augendam fidelium devotionem et venerationem erga divinissimum Eucharistiae sacramentum concedere S. V. dignetur septem quadragenas Indulgentiae omnibus et singulis christifidelibus, qui fide, pietate et amore sacratissimam Hostiam adspexerint, non solum cum in Missae Sacrificio elevatur, verum etiam cum solemniter exponitur; item ut Indulgentiam plenariam lucrari

valeat semel in hebdomada quotquot talem piisimam praxim quotidie peregerint, et sacram Communionem rite dispositi receperint, additis, in ipsa occulorum elevatione, verbis: *Dominus meus et Deus meus!*

Et Deus....

Iuxta preces in Domino.

Die 18. Maii 1907.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. Congnis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem...

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 12. Junii 1907.

† *D. Panici*, Archiep. Laodicen. Secretarius.

Decretum S. C. Indulgentiarum.

Indulgentia plenaria tribuitur renovantibus vota baptismalia in fine missionum vel exercitiorum spiritualium.

Beatissime Pater!

Fr. Ab Henricus Desqueyrous, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit quod, in diversis locis Ordinis sui et etiam aliorum Ordinum et Congregationum Missionarii solent, in fine missionum et exercitiorum spiritualium, ad solemnem functionem fideles convocare, in qua sacrae promissiones in susceptione baptismatis emissae publice renovantur. Ut ergo christifideles his servandis promissis efficacius excitenter, praedictus orator Sanctitatem Vestram enixe implorat ut, quotiescumque hutusmodi renovatio publica et solemnis in ecclesia peragitur, fideles huic coeremoniae devote adstantes, qui vota baptismi per hanc formulam: *Abrenuntio Satanae, et omnibus pompis eius et omnibus operibus eius, promitto me Christo fideliter adhaesurum*, aut per alia verba secundum usum regionis, renovaverint, plenariam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, lucrari valeant, dummodo confessi ad S. Synaxim accesserint et ad mentem Sanctitatis Vestrae pie oraverint. [1])

Et Deus...

SSmmus in Audientia habita die 27. Februarii 1907, ab Infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 27. Februarii 1907.

S. Card. *Cretoni*, Praefectus.

† D. *Panici*, Archiep. Laodicen Secretarius.

---

[1]) Similis indulgentia super concessa fuit in festo SS. Trinitatis per decretum eiusdem S. C. die 1. Junii 1906.

S. Congregatio indulgentiarum et SS. reliquiarum.
CHICOUTIMIEN.
Dubium an actus heroicus revocari potest.

Ad hanc. S. Congregationem Indulgentiarum transmissum est a S. C. Christiano Nomini propagando praeposita sequens dubium, cuius solutionem Rmus Episcopus Chicoutimiensis postulavit, nempe:

An fidelis emittens *actum heroicum*, quod *votum* ordinarie vocatur, quo in suffragium defunctorum, divinae Maiestati offert omnes indulgentias, quas vivens lucrari potest, nec non omnia sua opera satitactoria, et etiam suffragia sibimet post mortem conferenda, possit, quando ipsi libuerit, revocare?

Et. S. C. propisito dubio respondendum mandavit:

„*Affirmative*“.

Datum Romae eq Secretaria eiusdem S. Congregations, die 20. Februari 1907.

L. S. *S. Card. Cretoni* Praefectus

Pro R. P. D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretario

Ioseph. M. Can. Coselli, Substitutus.

DECRETUM
quo Constitutiones Congregationis Sororum Felicianarum approbantur.

SSmmus D. N. Pius Divina Providentia PP. X. in audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congr. EE. et RR. Praefecto die 17. hujus mensis, attentis litteris commendantitiis Antistitum locorum in quibus reperitur Institutum Sororum S. Felicis, Tertii Ordinis S. Francisci nuncupatum; domum principem habens in dioecesi Cracoviensi; ejusdem Instituti constitutiones, prout continentur in hoc exemplari, cuius autographum asservatur in Archivio praefatae S. Congr. benigne approbavit et confirmavit prout praesentis decreti tenore approbat et confirmat, salva Ordinariorum jurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congr. die 22 Martit 1907.

L. S. *D. Card. Ferrata,* Praes.

Ph. Giustini, Secr.

DECRETUM
de S. Communione infirmis non ieiunis.

6. Mar. 1907. — Proposito in S. Congregatione dubio, An nomine infirmorum, qui a mense decumbunt, et idcirco iuxta Decretum die 7. Decembris 1906 [1]) S. Eu-

[1]) Cnf. Cur. I. e. a. 1907.

charistiam non ieiuni sumere possunt, intelligantur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, an potius comprehendantur quoque qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt.

Eadem S. Congregatio die 6. Martii 1907. respondendum censuit: Comprehendi, facto verbo cum SSmmo ad cautelam.

Die vero 25. Marti currentis anni SSmus Dnus Noster Pius PP. X., audita relatione infra scripti Secretarii S. C. Concilii, resolutionem eiusdem S. C. ratam habere et confirmare benigne dignatus est et publicari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Vincentius Card. Ep. Praenestin. Praef.

C. de Lai, Secret.

Mutationes inter Ven. Clerum.

Translati: R. Ludovicus Mazur e Królówka ad Radłów. — R. Joannes Ligęza e Radłów ad Barcice. — R. Franciscus Kmieciński e Cmolas ad Piwniczna. — R. Stephanus Bombicki e Mikluszowice ad Cmolas. — R. Adalbertus Woźniczka ex Jadowniki ad Mikluszowice. —

Canonice institutus ad Beneficum im Jodłówka szczepanowska R. Martinus Zaczek.

Decorati expos. canon. R. Stanislaus Pajor Par. in Brzeźnica ad Dębica et R. Franciscus Miklasiński Par. in Łososina górna.

A sacris suspensus D. Carolus Szumowski, qui arbitrarie Dioecesim deseruit et Americam emigravit. —

Piis ad aram precibus commendatur

anima p. d. **Benedicti Czeczotka** Sacerd. ordinis PP. Cisterciensium Ciricii, qui die 22. novembr. mortuus est.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 7. grudnia 1907.

X. Władysław Chendyński
Kanclerz.

† LEON
BISKUP.

Nakładem Kleru dyecezalnego

Drukiem Józefa Styrny w Tarnowie.